

PARS II.

DE VI AC RATIONE PRIMATUS ROMANI

CAPUT I.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS UNIVERSIM SUMPTA

ARTICULUS I.

De hac Potestate Romani Pontificis
erga Ecclesiam.

THESIS XII.

Ex ipsa natura Primatus a Christo instituti manifestum est ipsum ideo institutum esse ut unitas universae Christi Ecclesiae, ac singularum etiam quoad se ipsas Ecclesiarum per unius capituli iurisdictionem efficienter obtineatur.

I. Finis rei a Deo institutae vel ex eiusdem rei natura bene cognita vel ex manifesta expresse intentione auctoris dignosci potest. Utroque modo cognoscitur finis universae creationis. Priore tantum modo nunc finem instituti Primatus investigamus. Quod ut accurate fiat et occasio quarumdam difficultatum excludatur; praesupponendum 1) est (cf. Taparelli Saggio teoretico etc. Vol. I, p. 2. c. 1. seq.) societatem in terris esse multitudinem hominum simul conspirantium in consecutionem boni communis ab omnibus cogniti et amati: exigi proinde in societate *communem intentionem, nisum, conatum* ad bonum commune assequendum: perfectionem omnem socialem ad haec tria capita revocari, nempe *unitatem* quoad esse societatis, *efficaciam in operando* quoad media quibus tendit in bonum: *possessionem boni* in quod operando tendit quodque operando custodit: *unitatem* societatis determinari duplici principio, *extrinseco et intrinseco*. Extrinsecum principium est *finis* sive *bonum consequendum*. Hoc autem principium solum non sufficit pro determinanda unitate societatis; cuius veritatis indicium est quod plures sunt societates inter se distinctae eundem habentes finem: ratio autem est quia finis idem pluribus modis diversisque mediis acquiri potest: finis vero non determinat potius huius quam illius medii electionem; determinatio vero certorum mediorum existere debet ut habeatur *conspiratio* plurium in idem bonum consequendum. Hanc autem

praestat principium intrinsecum, quod est *auctoritas* quae est *potestas obligandi*. Vel enim singulis permittitur tendere in finem eo modo iisque mediis quibus velint, et nulla habebitur conspiratio; vel *necesse est* ut omnes uno certo modo, certis determinatis mediis tendant in finem, et huiusmodi necessitas, quae moralis est, erit *obligatio*, quae non nisi ab aliqua auctoritate proficisci potest. Auctoritas ergo sive potestas obligandi, quocumque tandem in subiecto sit, principium est in ipsa societate existens unitatis plurium, ideoque ipsius societatis, quae formaliter societas est prout est una. Unde bonum consequendum *finaliter*, auctoritas *efficienter* determinat unitatem societatis.

Praesupponendum est 2) unitatem socialem esse unitatem externam, visibilem, hucque directe tendere auctoritatem ut actiones externae plurium in idem conspirent. Id vero supponit esse in singulis adunatis principium aliquod ipsis intrinsecum quo amplectantur velintque exsequi quod auctoritas ordinat; hoc autem principium est ipsa natura humana, ratio et voluntas quae omnibus est communis. Quod quidem principium si non tantum velit exsequi quod auctoritas praecipit, sed praeterea probet et diligat illud, eo ipso suavior et constantior ac intensior erit unitas sociorum. Istud vero principium singulis intrinsecum non est sufficiens ratio unitatis socialis, oportet enim esse aliquid omnibus notum quo actiones omnium ad unum obligentur; hoc autem est auctoritas; supponitur tamen illud ab auctoritate, eiusque efficaciam iuvat si quae ab ea praecipuntur, a singulis probentur et diligantur. Porro in societate supernaturali praeter naturam est quoque gratia interior, tum sanctificans, etsi non necessaria ut quis in ea societate censeatur, nec omnibus communis sit, sed iustis tantum; tum gratia actualis, qua fideles moventur in bonum. Huiusmodi porro gratia rursus non sufficit ad unitatem socialem efficiendam: ipsa enim 1) invisibilis est, et unitas quoque quam parit invisibilis; nec 2) determinat ipsa quid faciendum sit, sed illustrat mentem et excitat atque adiuvat voluntatem ut id fiat quod faciendum esse norma obligans omnibus nota proponit. Hanc igitur unitatem socialem tantum auctoritas socialis praestare potest. Quocirca etsi sit in Ecclesia principium aliquod interius uniens invisibiliter fideles; ut tamen societas sit, requiritur quoque externa et visibilis auctoritas. Ab initio quidem Christus ipse cum adhuc esset in terris auctoritate huiusmodi fungebatur; at cum modo invisibilis sit, nec ullos per se edat actus visibiles quibus potestas obligans exerceatur, necesse est ut vice eius alius vel alii in terris sint, qui auctoritate instructi principium efficiens existant unitatis socialis.

Praesupponendum est 3) quod ut auctoritas sit principium effi-

ciens unitatis socialis, non opus est ut ipsa autrix sit omnium legum quibus media praescribuntur conspirationi communi pro consecutione finis, nam praeterquam quod in quavis societate quaedam media ab ipsa natura praescribuntur: si sit auctoritas vicaria fieri potest ut quaedam saltem ex his mediis a supremo Principe societatis praescripta sint. Illud autem est necesse, si auctoritas vicaria dicenda est principium efficiens unitatis, ut ab ipsa omnia media sive quorum est autrix sive quae a supremo principe accepit, coactive proponantur societati, ita ut ea adhiberi nequeant nisi cum subordinatione ad eam vicariam potestatem, et sub regimine illius.

II. Itaque finem Primatus ex ipsa sua natura colligamus. Haec quidem ex hactenus disputatis debet esse manifesta. Porro cum finis quaeritur alicuius rei ad aliud ordinatae, cuiusmodi est Primatus; quaeri potest vel simpliciter *aliquis finis proprius eius, puta primarius, vel finis adaequatus*. Modo ab hac altera quaestione praescindimus, cuius solutio pendet a notitia omnium eorum quae Primatus in Ecclesia praestat; liquebit autem ea solutio postea. Nunc tantum positive affirmamus *finem proprium* Primatus. Huiusmodi autem finis proprius illud esse dicendum erit, quod Primatus per se necessario praestat, seu quod ex ipso sponte sua necessario consequitur. Atqui quod Primatus a Christo institutus per se et necessario praestat, illud certe est ut per unius capitis visibilis iurisdictionem unitas Ecclesiae universae, et particularium quoque quoad se ipsas Ecclesiarum efficienter obtineatur. Quid velimus dicere cum dicimus unitatem quoque *quoad se ipsas* particularium Ecclesiarum in demonstratione explicabitur.

Quandoquidem dicimus unitatem effici per unum *caput* instructum iurisdictione, oportet breviter declarare qua ratione Romano Pontifici fiat appellatio Capitis Ecclesiae. Caput Ecclesiae metaphoricè dicitur. In capite (III. p. q. VIII, a. 1) tria spectari possunt; *ordo, perfectio, virtus*. *Ordo* quia primum est et supremum inter membra humani corporis; *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus; *virtus*, quia caput virtute sua gubernat reliqua membra, vel cum reali fundamento concipitur gubernare, prout in ipso anima, quae gubernat corpus, *speciali modo* sedem habet; ibi enim exercet anima omnes functiones sensuum quibus utitur in directione membrorum, ibique est organon quod, extrinsece quidem, postulatur ut se exercent intellectus qui regit hominem. Porro Christus tum ordine tum perfectione tum virtute caput est Ecclesiae. Quoad tertium vero, nempe quoad *virtutem*, advertendum est duplicem distinguendam esse gubernationem corporis Ecclesiae. Altera scilicet est *interior* per influxum gratiae et donorum, altera est exterior per *exterioris* vide-

licet et visibilis auctoritatis exercitium, quo membra societatis adunata reguntur. Prior gubernatio ad solum Christum spectat. Altera gubernatio quoque pertinet ad Christum; verum cum ipse in terris esset, eam *per se* exercebat; modo autem invisibilis factus eam exercet *per suum Vicarium* qui proinde Vicarius cum Christo et sub Christo caput est visibile visibilis Ecclesiae. Quare Ecclesia non est biceps; unum enim supremum caput habet, cui universa subordinatur. Nulla est autem repugnantia quod praeter supremum caput sit in societate aliud subordinatum illi, quod eius vices expleat, sicut in regno, abeunte Rege, relinqui potest prorex, cui omnes subesse et parere debeant. Ecclesia quidem et Christus constituunt unum integrum mysticum corpus, cuius Christus est caput, ceteri vero sunt membra, sed id cum aliqua distinctione accipiendum est. Si enim spectetur ordo, perfectio et virtus quoad interiorern gubernationem, Christus solus est caput 1. Cor. XII, 11. seq. Petrus vero simul cum aliis inter membra recensetur; si vero spectetur *gubernatio exterior*, Christus cum suo Vicario simul est caput; ambo scilicet unum caput constituunt, sicut in ambobus una est auctoritas, non quatenus possit omnia Vicarius, quae posset Christus, sed quatenus auctoritas omnis Vicarii est auctoritas Christi, in hoc originalis, in illo derivata: ceteri autem sunt membra.

III. His positis finem institutionis Primatus dicimus fuisse *unitatem Ecclesiae efficiendam*. Quod fuerit Ecclesiae unitas finis Primatus docet etiam Febronius (De Statu Ecclesiae etc. c. II, §. 2); at aliter ac Catholici docent. Ex illius enim sententia potestas clavium data est a Christo universitati Ecclesiae (c. I, §. 6); cuius proinde regiminis forma non est monarchica (ibid. §. 5); ipsa autem Ecclesia hanc potestatem exercet per suos ministros, quorum primarius est Romanus Pontifex (ibid. §. 6); qui idcirco et ipse universitati subordinatus est. Hinc quoniam societas per auctoritatem constituitur, cum Ecclesia auctoritatem iurisdictionis habeat independenter a Romano Pontifice, ipsa independenter quoque ab eodem est societas, ideoque una. Ita quoque Gerson rem concipiebat (cf. Vindiciae doctrinae Maiorum Scholae Parisiensis per Richerium Tom. 1^o pag. 223.). Quare in hac sententia Primatus R. P. supponit Ecclesiae unitatem essentialem, eoque spectat tantum ut *servet* unitatem, ut Febronius loquitur, non ut *efficiat*. Hinc idem contendit Primatum Romani Pontificis non tam esse *iurisdictionis*, quam *ordinis et consociationis*. Qui quidem ordo et consociatio obtineri dicenda est e sententia Febronii per ministerium potestatis, quod Ecclesia suis ministris committit, quatenus cum ii plures sint, ita sunt tamen comparati ut unus inter ipsos excellat, eique ceteri saltem seorsim sumpti in plu-

ribus subordinentur (c. II, §. 9). Atqui sententia Catholica est per institutionem Primatus consultum esse a Christo unitati, qua constituitur ipsa Ecclesia, quatenus Primatus ipse est, qui hanc efficit unitatem, ita ut independenter a potestate Romani Pontificis nulla sit unitas Ecclesiae sive nulla sit societas quae Ecclesia Christi dici mereatur.

Argumentum huc redit: auctoritas, quae non est a societate delegata, sed quae est ipsa primitiva auctoritas et essentialis societati, est principium efficiens eius socialis unitatis (n. I): atqui talis auctoritas in Ecclesia est auctoritas Primatus, eaque propria est Romani Pontificis ut ipsi soli insit; ergo Primatus auctoritas eo spectat ut unitas Ecclesiae efficiatur.

Sane ex demonstratis constat totam Ecclesiam veluti aedificium fundatam esse super Romanum Pontificem tanquam Petram: constat potestatem clavium, ligandi et solvendi, potestatemque Pastoris factam fuisse immediate et directe Romano Pontifici independenter ab Ecclesia ita ut subiective non sit nisi in ipso. Atqui ex his sequitur 1) Ecclesiam Christi universam esse unam, est enim aedificium quod uni Petrae adhaeret, est regnum, est ovile quod uni Regi, uni Pastori subest: 2) auctoritatem Rom. Pontificis non esse delegatam ab Ecclesia, sed esse ipsam primitivam auctoritatem in hac visibili societate: 3) esse auctoritatem eidem Ecclesiae essentialem. ergo. Scilicet efficitur multitudo hominum societas una per auctoritatem, h. e. principium efficiens unitatis socialis est auctoritas: efficitur autem universa societas una per eam auctoritatem quae nondum societatem supponit, sed ex qua societas consequitur: atqui auctoritas Petrae non supponit aedificium, sed hoc ad illam consequitur, auctoritas habentis claves Regni non supponit Regnum per se iam existens, sed illud efficit: ergo. Itaque independenter a potestate Romani Pontificis nulla est Ecclesiae unitas, sive nulla societas quae Ecclesia dici possit.

Igitur hoc pacto non esset unitas totius Ecclesiae; universa enim Ecclesia nequit esse una si desit auctoritas quae universam regit, quae est auctoritas capitis, quod omnia membra una coniungit sibi: sed neque esset aliqua unitas partialis puta particularium Ecclesiarum. Scilicet non ita est concipienda unitas effecta per Petrum: ut ipse sit causa unitatis quatenus omnes particulares Ecclesias sive Episcopos in unum corpus colligit, ita tamen ut citra eum possint singulae particulares Ecclesiae suam unitatem seorsim tueri, quod falsum est. Nam istae particulares Ecclesiae et eorum Pastores vel adhaerent Petrae, vel non adhaerent: si non adhaerent, nullo modo sunt Ecclesia Christi; quia extra Petram nullum aedificium, nec pars ipsius subsistere potest,

sicut nec ullae oves Christi esse possunt extra ovile commissum Petro, nec ulli cives sanctorum extra regnum caelorum, cuius claves datae Petro: si vero Petrae adhaerent; ergo quoad has ipsas Ecclesias Petra est principium unitatis, hoc est enim esse Petram: principium autem unitatis nequit esse nisi per auctoritatem; ergo eae Ecclesiae subsunt potestati Petrae: ergo. Huc itaque per se et necessario spectat Primatus Petri a Christo institutus; hic ergo est finis eius institutionis.

Idque nos docet constans doctrina Patrum. Id enim disertissime tradit Optatus docens (Cf. eius verba pag. 272.) 1) Petrum accepisse claves bono unitatis seu ut unitatis negotium formaretur; 2) Petro collatam esse Romae cathedram ut in una cathedra unitas ab omnibus servaretur: 3) schismaticum esse ideoque extra Ecclesiam qui contra singularem cathedram Romanam collocaret alteram; qui proinde ipsi subesse nollet: 4) Petrum solum accepisse claves Ecclesiae communicandas ceteris (L. VII. c. 3). Scilicet Petro sive Episcopo Romano Primatus collatus est ut una Ecclesia formaretur, formaretur autem a Petro; nam ei ad hanc unitatem formandam collata est cathedra singularis, datae sunt claves seu potestas suprema non tanquam ministro Ecclesiae, sed tanquam principio et fonti unde omnis auctoritas in ceteros Pastores obnoxios derivaret: atqui per claves h. e. per supremam auctoritatem seu iurisdictionem formari Ecclesiam unam perinde est ac eandem auctoritatem esse principium efficiens unitatis Ecclesiae; ergo. Et re quidem vera ita formatur unitas a Petro ut nulla sit auctoritas in Ecclesia, qua formari unitas possit, independenter a Petro; potestas enim Ecclesiastica, quae est potestas clavium communicatur aliis a Petro, et schismaticus est quicumque Pastor cathedrae Romanae non subest: idcirco sine propria auctoritate Petri nulla est Ecclesiae unitas, quae proinde non supponitur a Petro sed fit.

Idem iam tradiderat Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiae docens haereses et schismata esse quia « ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctrina servatur. » Quaenam porro huiusmodi doctrina? Ea continetur verbis Christi ad Petrum Matth. XVI; et Ioan. XXI. Scilicet: « Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas... ut unitatem manifestaret... ut Ecclesia una monstretur » (cf. verba eius pag. 276). Unde subdit: « qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?... Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluant, numerositas licet diffusa videatur

exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est quod ubique diffunditur... unum tamen caput est, et origo una, et una mater foecunditatis successibus copiosa... Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem. » Itaque Ecclesia est una quemadmodum radii multi unum sunt uno lumine solis, et rami multi unum sunt una arboris radice; et plurimi rivi unum sunt una origine fontis. At origo una unum caput unum lumen in Ecclesia est, teste Cypriano, una cathedra Petri supra quam Ecclesia est fundata, quae ideo super ipsum est fundata ut una esse monstraretur. Et idcirco sicut ramus fractus ab arbore non germinat amplius, sicut rivus praecisus a fonte arescit, sicut radius avulsus a sole nullus est; et sicut per solem per arborem per fontem sunt radii lucis sunt rami sunt rivi, et praecisione facta a sole ab arbore a fonte nullum est lumen, nulla copia ramorum, nulla exundantia fontium: ita per cathedram Petri ipsa est societas quae est Ecclesiae seu ipsa est unitas socialis Ecclesiae, et praecisione ab ea facta, nulla est societas nulla unitas Ecclesiae. Ecclesia ergo una est, atque una efficienter per Petrum. Hinc epist. LX. ad Cornelium aiebat de schismaticis Fortunato et Felicissimo: « Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre. » Romana nempe cathedra origo est unitatis Episcopatus; et sicut, eodem Cypriano teste, nullus est Episcopus extra unitatem, episcopatus enim unus est et indivisus (De Unit. Eccl.), ita nullus est Episcopus avulsus ab origine a radice sua quae est cathedra Petri, quam idcirco vocat epist. XLV. « Catholicae Ecclesiae radicem et matricem, » sicut nullus est rivus praecisus a fonte; et quia Ecclesia quaevis particularis est, eodem auctore epist. XLIX. « Plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens », ideo nulla est unitas vel particularis Ecclesiae, si a cathedra Petri sit divisa. Igitur ex doctrina Cypriani constat ideo institutum esse Primatum Petri ut per ipsum efficeretur unitas totius Ecclesiae, ac particulares quoque Ecclesiae per ipsum unitatem suam tueri possent.

His antiquior Irenaeus idem hac nobilissima sententia expressit L. III, c. 3: « Ad hanc (Romanam) Ecclesiam propter potiore[m] principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. » Quibus verbis haec

de Romana Ecclesia adseruntur 1) eius *potior* (al. *potentior*) *principalitas*: 2) necessitas ut ceterae Ecclesiae, omnes quicumque sint fideles ad eam conveniant; 3) centrum eandem esse totius Christianae societatis, in quo fideles omnes veram fidem conservarunt. Porro quaenam est principalitas Romanae Ecclesiae? Non antiquitas, si ipsam Ecclesiam spectes, qua potius praecellit ierosolymitana Ecclesia (cf. quae dicemus in seq. Thesi ad sententiam Conc. Lateranensis IV), non sola origo apostolica aliis quoque communis Ecclesiis; sed est ἀρχή cuius propria est ἡ πρωτεία καὶ ἡ ἡγεμονία. Scilicet abstractum nomen *principalitas* significat id quod originale et primigenium est, et id a quo alia exordium originemque sumunt, atque speciatim id propter quod quis in societate est ἀρχή princeps, principium efficiens et origo unitatis. Hoc autem adaequato sensu usurpatur heic *principalitas* ab Irenaeo; nam 1) ut diximus sola notio eius quod originale est et primigenium, sive notio antiquitatis subesse nequit: 2) appositum *potior* vel *potentior* idem suadet; atque 3) persuadet id quod ex hac principalitate consequitur, necessitas nimirum omnium Ecclesiarum conveniendi ad Ecclesiam Romanam. In societate enim, qualis est Ecclesia, necessitas qua tenentur omnes adunandi se ad unam *principalem* civitatem sive sedem eo quod est *principalis*, non nisi ex eo oritur quod ibidem sedes est imperii, sive oritur ex dignitate supremi rectoris qui auctoritate sua omnes continet in unitate. Principalitas ergo Romanae Ecclesiae est supremum eiusdem imperium propter Sedem Petri in ceteras Ecclesias. Porro *convenire* omnes Ecclesias omnesque fideles ad Romanam Ecclesiam non est omnes fideles concurrere personaliter Romam; sed omnes illi adunari unamque cum ea societatem constituere illique tanquam magistræ in fide consentire. Itaque haec asseruntur ab Irenaeo, necessitas communionis omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana; necessitas huiusmodi propter potiore[m] eius principalitatem; h. e. propter supremam auctoritatem; sine hac Ecclesiarum et fidelium adunatione ad Ecclesiam Romanam nullum esse fidelium coetum; nam solum in hac Ecclesia h. e. ei adhaerentes fideles servant apostolicam traditionem; scilicet ratio cur ceterae Ecclesiae veram fidem teneant et in unitatem fidei conveniant non est in singulis ipsis sed est in Ecclesia Romana, quacum unitatem constituentes ceterae obtinent veram fidem. Igitur sine Ecclesia Romana nulla est fidei unitas, seu nulla est unitas socialis fidelium, ac per Romanam Ecclesiam solum obtinetur. Huc ergo spectat principalitas sive Primatus Romanae Sedis ut unitas omnium credentium efficiatur, ut singulae Ecclesiae cum ea cohaerentes veram fidem servant, sintque propterea portiones veri gregis Christi.

Ambrosius in Psalm. XL, n. 30 haec ait: « Ipse est Petrus, cui dicit Christus: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia. » Nimirum negative sicut aedificium non est ubi non est fundamentum, sive aedificium non est quod non incumbit fundamento; ita Ecclesia non est ubi non est Petrus, nempe Ecclesia non est, quae non est unita Petro. Positive ubi Petrus ibi Ecclesia, h. e. ea communio, quae Petro adhaeret eo ipso est vera Christi Ecclesia; est ergo in Petro ratio sufficiens cur communio sibi cohaerens sit vera Ecclesia. Porro si communio quaevis non est Ecclesia eo ipso quod non adhaeret Petro fundamento, si Ecclesia est eo ipso quod adhaeret; ergo Petrus, quatenus Petrus, h. e. fundamentum petra Ecclesiae, est necessarium principium constitutum ipsius Ecclesiae, colligens omnes in unam societatem quae est sola vera Ecclesia; principium nempe efficiens unitatis totius Ecclesiae. Quod si ubi non est Petrus, ibi non est Ecclesia, unitas quoque cuiuscumque particularis Ecclesiae pendebit a Petro, sive ab unione cum ipso. Ergo eo spectat institutio *Petrae* Ecclesiae sive Primatus Petri ut sit principium efficiens unitatis Ecclesiae.

Et sane haec fuit semper certissima Ecclesiae sententia; cuius rei luculentum testimonium est subscriptio facta ab omnibus orientalibus Episcopis formulae fidei ab Hormisda propositae ut ad unitatem Ecclesiae reciperentur qui propter acacianum schisma ab ea defecerant. Praemissis enim verbis Christi ad Petrum: tu es Petrus etc. profitentur graeci Episcopi se nolle separari a spe et fide Sedis Apostolicae, et ideo anathematizare haereticos omnes... suscipere et approbare omnes epistolas Leonis Papae quas de religione christiana conscripsit, sequi se in omnibus Apostolicam Sedem et praedicare eius omnia constituta, sperantes ita ut in una communione cum Apostolica Sede esse mereantur, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas; ac promittentes se eorum nomina inter sacra mysteria non recituros, qui sequestrati essent a communione Ecclesiae catholicae idest non consentientes Sedi Apostolicae. Iam vero in hac professione continetur sollemnis professio necessitatis communionis cum Sede Romana ut ab Ecclesia sequestratus sit qui ei non consentit; cuius necessitatis ratio verba sunt Christi constituentis Petrum eiusque successores Petram Ecclesiae. Proinde auctoritas Apostolicae Sedis est certe quoddam principium unitatis Ecclesiae. Est autem principium efficiens, quia, qualis in hac formula exhibetur, est auctoritas suprema cui omnes subesse debent, non quidem ministerialis h. e. ab Ecclesia derivata; neque enim Ecclesiam iam constitutam supponit, sed est auctoritas immediate a Deo in Petro eiusque successoribus constituta, auctoritas nempe *Petrae* supra quam Ecclesia est aedificata.

Huius praeterea fidei testes sunt Synodi oecumenicae. Testis est enim Synodus VIII, quae eandem mox recitatam professionem emisit Act. 1. Tum testis est Synodus Lugdunensis II. in qua probata est professio fidei quae haec quoque continebat: « Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit... Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae... Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit. » Iam vero principium efficiens unitatis socialis est auctoritas suprema et universalis non quidem ea quae sit delegata a societate alicui suo ministro ita ut ea iam ipsam societatem unam supponat, sed quae necessario praeventit quamlibet delegationem societatis et necessario est in societate; atqui ex hac professione fidei constat talem esse Primatum Romani Pontificis, qui dicitur habere auctoritatem supremam et universalem, eamque a Deo immediate accepisse institutore societatis: talis scilicet auctoritas non est delegata a societate, et est necessaria in societate a Christo instituta. Pariter eiusdem rei testis est Florentina Synodus, definiens « Rom. Pontificem esse verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in b. Petro pascendi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse » idem enim ac efficacius docet haec definitio quod professio Lugdunensis.

Cum hac doctrina quam vindicamus cohaeret quod sec. X Abbo Abbas scribebat (epist. V. Gallandi Bib. Tom. XIV). « Romana Ecclesia sua super omnes Ecclesias excellentia hoc habet privilegii, ut sicut claviger regni caelestis obtinet principatum apostolici culminis, ita eadem Romana Ecclesia auctoritatem tribuat omnibus quasi suis membris, quae sunt per quatuor climata totius orbis. Qui ergo Romanae Ecclesiae contradicit, quid aliud quam se a suis membris subtrahit ut fiat portio adversariorum Christi? » Porro ea excellentia sedis isque principatus qui ceteris auctoritatem tribuit est profecto principatus efficiens unitatem societatis cui praeest. Itaque traditio catholica manifesta est in hac re. Quae autem contra afferri possent expendemus suo loco in seqq. Thesibus.